

**Certamen Philelfianum      II edizione 2018***Tema di versione nr. 1***La pittura, poesia silente**

Nunc ad pictores veniamus, quamquam fortasse convenientius fuit ut post poetas pictores locarentur. Est enim, ut scis, inter pictores ac poetas magna quaedam affinitas. Neque enim aliud est pictura quam poema tacitum: namque in inventione ac dispositione operis utriusque cura propemodum par; nec pictor ullus praestans est habitus nisi qui in rerum physicarum proprietatibus effingendis excelluerit. Aliud enim est superbum pingere, aliud avarum, aliud ambitiosum, aliud prodigum, et reliqua item huiusmodi, atque in his proprietatibus rerum exprimendis tam pictori quam poetae elaborandum est, et in ea sane re utriusque ingenium ac facultas maxime agnoscitur. Nam si avarum fingere quis volens, leoni aut aquilae illum comparaverit, aut si liberalem lupo aut milvio, is nimirum, sive poeta sive pictor fuerit, desipere videatur. Oportet enim comparatorum naturam similem esse.

Pictura est enim ars magni ingenii ac solertiae, nec temere maiorem prudentiam desiderat, utpote quae non solum os, facies ac totius corporis lineamenta, sed multo etiam magis interiores sensus ac motus exprimantur postulat; ita ut vivere ac sentire pictura illa, et quodammodo moveri ac gestire videatur. Picturam non solum colorum varietate exornatam, sed multo magis vivacitate quadam (ut ita loquar) figuratam esse convenit; et quemadmodum de pictura, ita et de sculptura, fusura, architectura, quae omnes artes a pictura ortum habent, dicendum est. Nec enim quisquam probatus in his generibus artifex esse potest, cui pingendi ratio ignota sit.

da BARTOLOMEO FACIO (La Spezia, 1410 ca. - Napoli, 1457), *De viris illustribus* (1455-1457)

Il brano è tratto dall'introduzione alla sezione *de pictoribus* (che segue quella dedicata ai medici), dove Bartolomeo Facio raccoglie le biografie di alcuni fra i più importanti artisti del suo tempo, fra i quali Gentile da Fabriano, Pisanello, Donatello.